



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

VI. Die Knappen Berthold und Cyriacus von Susa verkaufen 4 Hufen in Lechtenhagen an die Brüder von Walmoden, am 2. Mai 1309.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55003)

VI. Die Knappen Berthold und Cyriacus von Susa verkaufen 4 Hufen in Lechtenhagen an die Brüder von Walmode, am 2. Mai 1309.

Nos Bertoldus et Cyr(iacus?), dicti de Susa, famuli, ac nostri veri heredes — recognoscimus, quod — vendidimus quatuor mansos suos in campis ville Lechtenhagen strenuis militibus Aschwino et Thiderico, fratribus, dictis de Walmode, possidendos, videlicet sub hac forma, quod nos — iam dictos mansos in nostra feudali possessione obtinebimus, quousque prenominati milites a Domino ac duci de Brunswich obtinere valeant titulo feudali. Ad recognitionem huius facti sunt testes Thidericus et Otto, dicti Kegel, necnon Bertoldus, dictus Pyl de Barkeuelde, famuli. Et ut hec rata et inconvulsa permaneant sigilla nostra apposuimus huic scripto. Datum Anno M^o. CCC^o. Nono, Dominica qua cantatur: Oculi mei semper.

Nach dem Originale im Wolfenburger Archive.

VII. Günzel und Borchard, Wettern, von Bartensleben verkaufen dem Priester Werner, genannt von Chüden, und dem Rath der Neustadt Salzwedel einen Hof in Ritze zur Dotation eines Altars der Katharinenkirche in Salzwedel, am 24. Juni 1320.

In nomine domini Amen. Quoniam ea que fiunt a mortalibus cito a memoria evanescent, nisi scripture testimonio roborentur; Hinc est quod nos Ganzelinus et Borchardus, patruales de Bärthensleue, milites, recognoscimus per presentes, quod de nostrorum consensu heredum legimorum vendidimus domino Wenero, dicto de Chüden, sacerdoti, et consulibus nove ciuitatis Soltwedel vnam curiam in villa Ritze cum quatuor mansis cum aduocacia et cum omni iure liberam ab omni precaria tam in agris quam in pratis, cultis et incultis, aquis, pascuis et nemoribus suisque pertinentiis vniuersis, pro quadraginta marcis argenti Stendaliensis iam perfolutis, quam pecuniam Albertus, de Chüden dictus, quondam ciuis iam dicte ciuitatis, prefati domini Weneri frater, pro sue anime suorumque progenitorum remedio legauit ad dotandum vnum altare in ecclesia Sancti Catharine ciuitatis predictae consecrandum in honorem dei sueque matris sanctissime et beatorum apostolorum Symonis et Jude prefato domino Wenero iam porrectum. Soluunt autem prefata bona tres choros siliginis annuatim et dimidiam marcam argenti Stendaliensis in festo Santi Michaelis tollendam. Illam autem dimidiam marcam idem dominus Wernerus cum sua matre, suo fratre Rudolpho ac Ebelkino, eiusdem Rudolphi filio, sue vite temporibus percipient tali condicione, quod sepe dictus dominus Wernerus eandem dimidiam marcam quoad vixerit tollat, mater vero sua si ei superuixerit eandem dimidiam marcam sue vite temporibus percipiet sola, Rudolphus autem et suus filius prefati, si predictis duobus scilicet domino Wenero et sua matre superuixerint, ambo tollent ita quod vltimus eorum in vita integraliter quam diu vixerit dimidiam marcam percipiet sepe fatam. Omnibus autem prefatis personis viam vniuersae carnis ingressis